

& nummi fiant variati, quod salis florem nuncupamus. Coquite igitur quousque nigredine privetur ac albedo appareat. Regite demum ipsum, & auri collæ commiscete, & coquite, donec fiat Ethelia rubea, ac terite cum patientia ne vos tædeat, ac Etheliam aqua sua imbuite quæ ex eo exivit, quæ est aqua permanens donec rubeum fiat. Hoc igitur est æs combustum, quod est auri fermentum ac auri flos, quod cum aqua dirigite, donec aqua descendat. Hoc igitur continuè faciatis, quousque tota privetur aqua, & pulvis fiat.

*Æs flos nummi*

*Sermo Undecimus.*

PARMENIDIS *inquit*: Sciatis, quod invidi multipliciter de pluribus aquis tractaverunt, & de brodijs, corporibus, lapidibus, & metallis, ut vos decipiant omnes, scientiam inquirentes. Dimittite igitur hæc & aurum, nummos: nummosque aurum fieri facite pro hoc nostro ære & æs pro nigredine. Ac plumbum stannumque plerique faciendo, nigredinem vocant. Et scitote, quod nisi veritatis naturam dirigatis, eiusque complexiones & compositiones benè coarctetis, & consanguinea consanguineis, & primum primo, inconvenienter facitis, nec quicquã operamini. Eò quod naturæ cum suis obuiabunt naturis, consequentur eas & lætabuntur: In eis namque putrescunt & gignuntur, eò quod natura naturâ regatur, quæ ipsam diruit ac in pulverem vertit, & in nihilum deducit, demum ipsa eam renovat, reiterat & gignit frequenter. Ergò in libris investigate, ut veritatis naturam sciatis, & quid eam putrefacit, quidque renovat ac cuius sit saporis, & quæ naturaliter habeat propinqua, & qualiter se ad invicem diligant, & qualiter post amorem inimicitia, ac corruptio eis accidat, & qualiter complexentur se ad invicem, illæ naturæ, & concordet fiant donec in igne lenes fiant similiter. His igitur notis in hac arte, manus vestras imponite. Si verò veritatis naturas ignoretis, noli huic operi appropinquare, quoniam totum est noxium, infortunium & tristitia. Sapientum igitur verba inspicite, qualiter his verbis totum peregerunt, cum dixerunt, quod natura naturâ lætatur, & natura naturam continet. In his igitur verbis vobis peractum est opus multiplex superfluum. Ideò dimittite & argentum vivum accipite, & in corpore magnesiæ coagulate, vel in Kuhul, vel in sulphure, quod non comburitur, & facite ipsum naturam albam, ac æri nostro imponite & album fit. Si rubeum faciatis, rubeum fit,

*Similia copulanda.*

*Natura reguenda.*